

IN TABULAM

GEOGRAPHICAM TERRÆ PROMIS-
SIONIS

ANIMADVERSIONES.

Quanti sit ad rectam Sacræ Scripturæ intelligentiam, scientia Geographiæ sacræ, certum situm determinantis locorum, de quibus in eadem Scriptura, persuasum omnibus satis scio. De ejus necessitate persuasi

Eusebius & S. Hieronymus, peculiarem ad eam scientiam operam contulerunt. Post sacra Crucigerorum bella plures ex nostris laudabili huic studio addicti, ad Sacra illa loca oculis suis lustranda se contulerunt, atque uberem ejus rei cognitionum messem retulerunt sibi, & nobis communicarunt. Tandem hisce Veterum & Recentiorum documentis adjuti doctissimi quidam ex nostris Geographis, tabulas & methodos Geographicas direxerunt, quibus in Sacrorum Librorum lectione magis magisque juvaremur. Adrichomius inter cæteros excellit maximè, tum amplioris Operis volumine, tum & methodo & diligentia, faciem præferens cæteris omnibus, qui eandem post illum viam ita triverunt, ut præcedentis tanquam vestigia relegere viderentur.

Quaresmius, Sanfonius, Du Val, de la Rue, Cellarius, Hortelius, Bonfrerius, P. Lubinus, P. Lamy Oratorii, Ligfootus, ut cæteros sileam; argumentum hoc maximè illustrarunt; sed adnitentibus illis plurimum, adhuc superest emendandum in tabulis. Quantæ adhuc in Geographia Sacra tenebræ!

Quod maximè necessitatem errandi fecit Geographis, illud reputandum est, nimirum certam locis omnibus, de quibus in Sacra Scriptura, & Josepho, sedem determinandam illos suscepisse. Factum inde, ut casu multa signarentur in tabulis locorum nomina, quorum incertissimus situs, & nihil de illis habetur explorati, quàm quòd ad hanc vel illam Tribum aut regionem pertinerent. Lectores interim, qui in ambiguo versantur, commodum sibi arripiunt, quæcumque oculis subjecta vident, omnia indiscriminatim admittendi, rati certum illum esse naturalem locorum situm. Post priores illos, succedente Geographi alter

alterum exscribens, ut moris est, perpetuam faciunt errorum tum successionem, tum etiam penè ad infinitum propagatorem.

Alteram errandi occasionem præbet Hebraici idiomatis & etymologiarum ignoratio. Plures inde Urbes in unam confusæ; ex una plures factæ; quòd scilicet genuina vocum significatio lateret. Sunt e. g. una & eadem Urbs *Bethfemes*, & *Hirfemes*; sicut & *Gazer*, *Gazera*, *Gezer*, *Gezera*, *Gezeroth*, *Gezerothaim*, *Gizerot*, *Gideroth*, *Gadarath*, *Gaderoth*; una & eadem *Afor*, & *Efrom*, *Hazerim* &c. cum interim varia hæc nomina totidem Urbium credita sint. Confusa sunt vicissim hæc duo discretarum Urbium nomina, *Thamar*, *Hazazon-thamar*. *Thamar* in Hebræo palmam, arborem in regione frequentissimam, exprimit, cuius nomine plura in Palestinâ loca censentur. Urbes Palestinæ præterquam in collibus eminebant; hinc toties recurrunt nomina *Gabaa*, *Gabbaton*, *Gabbatha*, *Gabaon*, sicut & *Ramath*, *Ramoth*, *Ramathaim*, *Remmon*, quibus vocibus collis, vel editus aliquis locus designatur. Idem ferè spectes in nominibus Urbium *Beer*, *Beroth*, *Bera*, *Berothaim*: *Ain*, *Enna*, *Ennon*, *Enam*, quorum etymon è puteis sive fontibus ibi frequentibus. Non ita verò reputandum est, quasi *Beer*, *Bera*, *Beroth*, *Berothaim* loca semper inter se diversa significent; sunt enim interdum unius ejusdemque synonyma. Simili exemplo voces *Beth*, *Hir*, *Cariat*, vel *Hazer*, *Afor*, *Hazerim*, alteri cuique nomini adjectæ nihil aliud significant, quàm *Urbs*, *mansio*, vel *atrium*; quare indiscriminatim usurpantur *Arbee*, vel *Cariat-Arbee*; *Lehem*, sive *Beth-Lehem*; *Ennon* & *Hazer-Ennon*. His ambagibus implicantur quicumque Hebraicum idioma vel non satis callent, vel ignorant. Huc pariter referenda vitia illa orthographiæ in propriorum nominum adscriptionibus, quibus aded sædantur Tabulæ, ut vix ultra agnoscantur. *Cariat-jarim* *Cariat-baal*, *Baal*, *Baala*, *Balim* *Juda*, *Se-dei-jarim* plura sunt ejusdem Urbis nomina; & *Gabaa* 1. Reg. 7. 1. nihil est aliud quàm

quàm collis *Cariat-jarim*. *Ramatha* Prophetæ *Samuelis* sedes, alia planè fuit ab Urbe cognomine inter *Liddam* & *Jerusalem* in via ex *Joppe* *Jerusalem*; *Ramatha* enim *Samuelis*, cui agnomen *Ramatha*, *Sophim*, sita erat in montibus *Ephraim* (t), multò planè Septentrionalior. *Bozra*, *Bostra*, *Belor*; & *Bozor* unus sunt Urbis nomina in *Transjordanis* & in Tribu *Ruben*, 25. milliaribus ad *Edrai*.

Nec parum offundendis veritati tenebris contulit nimia Itinerantium credulitas. Quo tempore Crucesignatorum armis Terræ Sanctæ loca cesserunt, discurrerent regionem Christiani, eà semel induciti persuasione, quæ *Josue* & *Iosephi* ætate nota essent, sibi etiam occurrere omnia, ad minimam nominum vel situs affinitatem, vel similem aliquam conjecturam, statim, veluti sibi exploratum, pronuntiabant hanc *Bethuliam* esse, hinc *querum* *Mambre*, vel *speluncam* *Loth*, illic *Terebinthum* *Jacob*, *Sepulchrum* *Adami*, domum *Cleophræ*, *juniperum* *Elizæ*, fontem *Agar*, vel *castellum*, quòd contra vos est, & alia hujus generis sexcenta.

Postquam *Saracenis* & *Turcis* loca paruerunt, rara illa monumenta, unde Geographi aliquid subsidii pareretur, vel gentis vel temporis injuriâ omnia destructa sunt. Regionem discurrerent prædones & *Arabes* desertam ferè reddiderunt; ut nostrâ pariter ætate tutum non sit euntibus per ea loca iter, nisi cum illis, quas vocant, *Caravanis*, constantem semper viam tenentibus, neque divertere audentibus quidquam, neque sustinentibus tandiu in uno loco, ut illius Urbis vel agri faciem delineent; gravius sibi aliquid è populis illis barbaris, rudibus, suspiciosi mentes. Factum inde, ut parum adimenti contulerint nobis itinera doctissimorum virorum illius ætatis, quorum unicè labores aliquid tantum contulerunt, ut certas locorum quorundam distantias, sicut & flumina & montes, disceremus. Accedunt his omnibus ducum itineris insertæ fabellis & parum assertis traditionibus relationes. Quare illud nobis jure est asserendum, nihil habere nos minus explorati quàm Terræ Sanctæ Regionem.

Id unicè nobis esset in votis, ut viri aliqui in Geographia periti novam dare tabulam susceperent. Horum scientiâ & eruditione proficere, è re nostra esset maximè, quibus etiam animadversiones nostras libentissimè communicarem. Sed difficultate operis territi viri quique doctissimi, & alio occupati, provinciam illam reliquerunt intactam. Quare necessitate coacti novam Terræ Sanctæ tabulam dirigendi, recusatam ab aliis provinciam inivimus. Nec blandimur tamen nobis, melius cessisse nostris conatibus, quàm aliis cæteris; errata tamen nonnulla correximus, quibus præcedentes tabulæ ferè omnes vitiantur.

Quòd autem pro viribus errandi nobis occasionem præcidamus, id nobis constitutum est, ne loca alia consignemus in tabulis, quàm quorum nomina nota sunt in Scriptura & *Iosepho*, & ea quorum cõ-

tum situm indicarunt *Eusebius* & *Hieronymus* aliique fide digni Scriptores. Ita factum est, ut Tabula minis inserta nominibus distinctior sit, nihilque determinet, quàm prius ejus determinationis rationes in Commentario exhibeantur. Quicumque catalogum optant Urbium singularum Tribuum, facile nansciscuntur apud *Iosephum*; quibus id commodi accedet, ut negocium iis præcidatur distinguendi in Tabulâ loca, quorum est certus situs, ab aliis, quorum casu tantummodò locus assignatus est. Nemo sibi facile persuaderet, quantum erroris inducat locorum ignorantia, & falsa situs determinatio. Experimento id probavimus interdum in nostro Commentario: qua de re reddenda nobis hæc est ratio, ne fortè contingat, ut repugnantia scripsisse accusemur, quòd alia scripturis mandaverimus, alia in tabulis inventurum oculis subjecerimus.

Falsa quædam de vetustis Terræ Sanctæ limitibus idea rectam Geographiæ economiam plurimum turbavit. Ita e. g. quicumque eà persuasione tenebantur, meridianos regionis limites definiri lineâ quâdam duâ ab extrema maris Mortui ora adusque *Gazam* sive torrentem *Rinocoruræ*, quem cum flumine *Sichor* vel rivo *Ægypti* confundunt; quicumque, inquam, eà persuasione tenentur, intra Septentrionalem ejus lineâ portionem clausurunt regionem *Juda* & *Simeon*, quamquam dimensiones apud *Eusebium* & *S. Hieronymum*, viros in ejus studii genere principes, plus multò ad meridiem protenduntur. Ut autem geminis illis Scriptoribus aliquid deferre viderentur, plusquam par est, ad septentrionem revocare coacti sunt *Jerusalem*, *Eleutheropolim*, & *Hebron*; ex quo magna in positione tum eorum, cum aliorum etiam locorum, quorum assignata ad illas distantia, turbatio. Id nobis incommodi subtilit lumen terræ promissionis ad *Pelusium* usque & *Nilum* revocatum (l); certumque habemus & ratum, regiones illas, nullo hodie habitatore desertas, inter mare Mortuum & *Ægyptum* culturâ olim & incolis floruisse, quemadmodum non obscurè docet Scriptura (m). Hoc loci spatium assignamus terræ *Gessen* vel *Gosen*, duplici olim titulo ab *Israelitis* possessæ, dono scilicet Regis *Ægypti* *Iosepho* ejusque fratribus (n), ac tandem assignatione *Josue*, à quo Tribui *Juda* addita est (o), ut promissionum divinarum fides liberaretur. Ibi pariter *Gerara*, *Bersabee*, *Arad*, *Horma*, *Afemona*, *Siceleg*, *Luza*, *Geth*, *Maon*, & alia in Scriptura notissima; quæ omnes ultra *Gazam* constitutæ sunt, quemadmodum statim probat autoritas *Eusebii* & *S. Hieronymi*, Scripturæ pariter & prophanorum Geographorum, apud quos de Urbium illarum nonnullis mentio, uti *Bersabee*, *Luze*, *Geraræ*, *Meonis*, vel *Maonis*, ut infra demonstrabimus.

Regionis limites meridionales satis aperte, si attendatur, *Moyse* describit. Ducit enim lineam meridionalem à mari Mortuo, & à deserto *Zin*, regioni *Edom* proximo, ac ad ascensum *Scorpionis* deflexam protendit usque

lVide Comment. in Josue 13. 3.

m 1. Reg. 28. 8. Hi enim pagi habitabantur in terra antiquibus euntibus Sur; usque ad terram Ægypti. n Gen. 47. 6. o Josue 10. 41. p 11. 16. q 15. 51.

usque ad Senna, & Cadesbarne; inde vero ad usque Adar & Esmonam, ex quo gyratem flectit usque ad torrentem Egypti, & ad litus magni maris, nempe Mediterranei. Frustra hic demonstraremus, Egypti torrentem ipsum esse Nilum: quod in Commentario (p) satis evicisse confidimus. Loca illa à Moysse expressa non rectè sanè lineà à mari mortuo ad Mediterraneum ducunt: quare appositè quidem Sacer Historicus bis utitur verbo gyra; re ipsa enim ducta meridionalis linea gyra ad meridiem occidentem versus à latere Egypti.

p Josu. 13. 3.

In censu mansionum Hebraeorum in deserto Num. 33. plura leguntur nomina Urbium ad meridiem Juda, uti Azor vel Ebron; Azerim, quæ cum Mozerah; Mozeroth; & Hazeroth confunditur; Lebna notissima est urbs; Ceilath alia non est à Ceilath. Resa apud Josephum & alibi nota est. Mons Sepher ipse est Cariat-Sepher; Adar, Adara, Arada, Ared, Herad, Barad, varia sunt facile ejusdem Urbis synonyma. Macolip ipsam credo Malatim, aut Malatam Eusebii, & Moladam Josue; sicut Metca eandem facile ac Metag in 2. Reg. 8. Alus est Lysa, Elysa; Allus in Arabia petrea. Jerabata, an eadem ac sepulchra concupiscentia (g)?

q Jectabata, Tumuli concupiscentia.

r Josue 20. 8. & 21. 27. 36. Isai. 34. 6. & 63. 1. Jerem. 47. 24. & 49. 13. 22.

Ad Idumæam quod attinet, non satis distincta variorum temporum discrepantia in errorem Geographos induxit. Quidam Scriptura secum ipsa cohereat, duas admittamus Idumæas, vel regiones Schir, necesse est; alteram scilicet ad orientem Palæstinæ in montibus Galaad, Edrai versus, quo in loco inclyta urbs Bozra [7] aliam vero ad meridiem Juda in Arabia Petrea, à sinibus Juda usque ad mare Rubrum & Sinum Elaniticum protensa. Postremâ Reipublicæ Judaicæ ætate, nempe post captivitatem Babylonicam, ditionem suam propagantes Idumæi, Urbes meridionales Juda plurimas usque ad Hebron vel circum sibi usurparunt.

De regione Edom, vel Schir ad orientem Terræ Sanctæ, vide Gen. 32. 3. ubi legas Jacob è Mesopotamia reducem, cum adhuc trans Jordanem esset, adventus sui nuncios ad Esau fratrem suum misisse; quod ut recevit Esau ipsâ eadem die (non longè enim morabatur) in occursum fratris venit. Et 2. Reg. 8. 13. 14. Davidem è Syria reducem Idumæam sibi jure armorum subegisse. Constat autem Idumæam meridionalem regredienti è Syria & Emath Jerusalem, in via occurrere nequaquam potuisse. Alibi verò (s) Adad filius Regis Idumææ è cæde servatus, subductus fuit ex Idumæa in Madian, inde Pharan, tandem in Ægyptum. Porro de Madian hic agitur, tanquam ad Orientem maris Mortui. Regionem Edom ad Orientem Chanaanitidis & in montibus Galaad Josue pariter constituit (t). Non semel exhibentur Idumæi montis Schir fœdere juncti cum Ammonitis & Moabitibus, tanquam cum limitrophis gentibus, arma in Hebræos ferre (u). Ad eam regionem pertinebat Job è posteris Esau (x).

s 3. Reg. 11. 18.

t Josue 11. 17. & 12. 7. u 2. Par. 20. 2. 10. Ezech. 25. 8. & 35. 2. 3. x Vide Comment. in Job 1. pag. 3. 4. & Jerem. Thren. 4. 21.

De regione Edom vel Schir ad meridiem

Juda, quod nulla sit controversia, videtur nostrum Commentar. in Genes. 14. 6.

Quæ Juda obtigerat, regio protendebatur à mari Rubro usque ad Ægyptum. Sub Salomone, & deinceps etiam sub Josaphat (y); Afiogaber & Elat ad Sinum Elaniticum Regibus Juda parebant. Post defectionem Jeroboami, cum Tribus Simeon jugum excussisset domus David, ejusdem familiæ Reges per data temporum intervalla plures urbes ex eadem Tribu (z) occuparunt: & jure illi quidem, suam enim veterem partem repetebant (a), in quam volentes Simeonitas admiserant.

z Vide 1. Par. 4. 41. 42. 43. a Vide Josue 19. collatum cum Josue 15.

Alii sunt igitur limites constituendi Regni Juda, quam qui plerumque ponunt; duplo enim majori patebat illi regio quam in Tabulis Geographicis obtineat. Excurrerent enim plus multo ad meridiem, ut quidquid Græcis & Romanis sub Idumæa nomine postea innotuit, totum sibi Juda olim vindicaret. Non est igitur, cur vehementer miremur instruissimos illos Regum Juda exercitus, nec portentosos planè hominum ejus ditionis census, tum alibi sapè, cum maxime sub Josaphat (b), cujus nutu armabantur 1160000. virorum, exceptis Urbium custodibus, militibus & copiis item quæ stabant in armis. Regio erat enim optimè disposita, culta maxime & feracissima; cui ad commodum accedebat cum finitimis commercium, quibus omnibus abundè numerus ille hominum & major etiam sufficiebatur. Quæ ad meridiem Juda squalida nunc jacent regiones, florentissimæ tunc erant maxime, & Urbibus ac vicis, tum postremis Reipublicæ Judaicæ annis, cum etiam post eam ætatem; nec ad extremam hanc desolationem redactæ sunt, nisi immisso à Deo reum omnium exterminio per Turcas. Ipsum Terræ Sanctæ centrum irrigabant lacte & melle manantes fluvii; quod fidem superat de regione nihilo fermè hodie Arabia Petraæ feliciori. Si quis è rebus presentibus de præteritis argumentum caperet, potuisset ne in animum inducere, tanto incolarum numero, quantum insinuat Scriptura, deserta hæc loca floruisse? Non est ergo è presentibus ad præteritum regionis alicujus statum semper certa consequutio: Nunc seges est, ubi Troja fuit (c).

b 2. Par. 17. 15. 16. & c.

Regio Gazam inter & Ægyptum squallet hodie; totam enim occupant fluxæ semper arena, steriles, & salinum quoddam sabulum, fructibus ferendis ineptum. Hæc loci pictura, quam non recentiores tantum, sed Veteres etiam exhibuerunt; narrant enim Cambysem nunquam id commissurum fuisse, ut exercitum suum per eas regiones in Ægyptum duceret, nisi unus ex Arabia Regibus camelos ingenti planè numero, ferendis portabilibus aquis, & com meatibus cæteris successisset (d). Vera sunt hæc: sed non minus constat, suos fuisse olim in eo regionis tractu incolas. Uno enim Geographorum consensu pater, litoris Mediterranei totum tractum inter Gazam & Pelusium habuisse Urbes Raphiæ, Anthedonis, Rinocoruræ, Bethaphu, Ostracina; & nostrâ etiam ætate plura adhuc

c Ovid. Epist. Heroid. 1.

d Herodot. l. 3. c. 5. 6. & c. 38.

e Thewesot rivor. Orient. 21. p. 2. e. 35. & Petr. della Valle Epist. 13.

f Vide Eusebium & S. Hieronymum ad vocem Antilibanus; constituant enim eum montem ad Orientem Libani, Damascus versus; & S. Hieronymus in Ezechielem 20. censet, Terram Promissionis à Emath & c. Nec meliora nos interdum dedimus de introitu Emath, & in Libani descriptione. Sed majori sedulitate & studio argumentum illud versantes, aliorum tandem & nostrum errorem intelleximus: persuasi Libanum & Antilibanum duos esse parallelos montes, quos inter longa vallis distinguit, patens ad Septentrionem vel Septentrionem Occidentalem, qua parte Syriam spectat; perpetuâ verò montium catenâ duos illos montes jungente ad meridiem, clausa, qua parte Judæam respicit. Quare perpetuus est montium ductus in equini ferri similitudinem gyrans, cujus longitudo à meridie ad septentrionem; Libanus scilicet post Sidonem usque ad ulteriora Urbis Tripolitanae porrigitur; Antilibanus verò à fontibus Jordanis usque ad tres leucas Balbec infra, Laodiceam Cæbiom vel Scabiosam versus.

Congruit hæc locorum descriptio non Plinio tantum, Eusebio, & S. Hieronymo (f), sed recentiorum Itinerantium exactissimis. Plinius Libanum dicit post Sidonem; protendi verò asserit secundum Mediterraneum usque Symiram, 1500. stadiorum tractu; Antilibanum verò è regione illius ponit, mediam inter duos constituens vallem Cælesyriæ, olim in extremâ sui orâ ducto muro ad utrumque montem clausam (g). Strabo l. 16. locum aliter describit; namque paulò supra Tripolim ad mare Libanum repetit, Antilibanum verò Sidonem versus inire testatur; finem autem utriusque montis constituit circa montes Arabiæ. Vallis intermedia latitudinem ad ostium quidem versus mare 200. stadiis, in medio verò tractus duplo majori stadiorum mensurâ dimittitur. Hunc sibi ducem in Libano & Antilibano describendo plerique constituentes, duos parallelos montes ex Oriente ad Occidentem exhibent. Verum Maundrellus (h) narrat, movisse è Sidone; atque transgresso inde Libano; in subjectam demum vallem descen-

diffe, quo loco duas leucas latitudinis dimetiebatur; longitudine verò plurimodierum itineri par fuisset. Ejus situs ad septentrionem & Orientem; & ad Meridiem Occidentem septim ejus latera duplex montium parallelorum, & ejusdem planè figuræ ductus. Prima montium catena ea est, quæ vallem & Urbem Sidonis interjacet; altera è regione Damascus respicit: illa Libanus est, hæc Antilibanus.

Septentrionales limites Terræ promissionis describens Moyses, illos dicit (i) à Mari magno usque ad montem altissimum, (ad literam ad montem montium) à quo venient, ait, in Emath usque ad terminos Sedadæ; ibuntque confinia usque ad Zephrona, & Villam Enan seu Hazer-Enan. Hi erunt termini in parte aquilonis. Inde metabuntur fines contra Orientalem plagam, de Villa Enan usque Sephama; & de Sephama descendent termini in Reblata. Animadvertendum hic sedulo Enath in medio lineæ septentrionalis ex Oriente in Occidentem constituit; ita pariter Enam in medio jacuisse lineæ Orientalis ex Septentrione in meridiem; ut post eam Urbem lineam ad Septentrionem tenderet in Sepham & Reblam; inde perveniet, ait Moyses, contra Orientem ad mare Cenereth. Porro Sepham, & Rebla Urbes erant Syriæ; Enan constituitur ad meridiem Damascus: Hanc Moyses ideam ingerit de septentrionalibus Palæstinæ limitibus. Luculentiora Ezechiel 47. 15. & c. A mari magno (Mediterraneo) via Hetalon venientibus Sedadæ Emath, Boroth, Sibarim, que est inter terminum Damascus confinium Emath, domus Thicon (Hebr. Chazer-Thicon) qua est juxta terminum Aurân. Quibus ita constitutis, septentrionales limites definire oportet lineâ à mari magno ad Chazer-Enan terminum Damascus; protendebatur autem ex occidente in orientem, paulò licet è septentrione ad meridiem vergens; in medio autem suæ longitudinis ad septentrionem impositam habebat urbem Emath.

i Num. 34. 7. 8. 9.

Id loci spatium tenebant Amathai, Samaræi, Aradii, Aracæi, Sinæi veteres incolæ Emath, Symiræ, Aradi, Arces, Sin vel Sina, quem populum Moyses recenset inter posteros Chanaan (k), anathemati devotos: quamquam si vulgarem hypothesis, limites Terræ promissionis ad Libanum restringentes sequeremur, regiones illæ omnes ab anathemate immunes pronuntiandæ essent.

k Gen. 10. 16. 17. 18.

Urbis Emath ipsa est Emefa ad Oronem; quadrant enim omnia, nec nomen ipsum abludit, Ematha & Emefa; indiscriminatum namque usurpatur T & S in linguis orientalibus. Emath florentissima erat olim in Syria Urbs (l); quæ è Palæstinâ per vallem Libanum & Antilibanum interjacentem petebatur. Dabat in vallem illam ingressam introitus Emath, sæpius in Scriptura memoratus (m). Reblata in regione Emath sita erat (n); illam David subjecit: sed Jeroboamus II. à Regibus Judæ divulsam sibi jure armorum vindicavit (o). Jungit non semel Scriptura veluti tres limitrophas provincias Emath, Arphad vel Arad, Damascus (p); semper tamen po-

l Amos 6. 2. It in Emath magnam. m Num. 13. 22. Josue 13. 5. Judic. 3. 3. & 3. Reg. 8. 65. & 4. Reg. 14. 25. n 4. Reg. 23. 33. & 25. 21. o 4. Reg. 14. 28. p 4. Reg. 18. 34. & 39. 13. Isai. 10. 9. & 36. 19. Jerem. 49. 23.